



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. I. De Numero Cælorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

esse apogæos, seu à terra remotissimos, subinde perigæos, seu terræ propiores. Deinde aliqui planetæ, uti Venus & Mercurius sæpe sunt supra, sæpe infra Solem, quæ satis ostendunt, terram non esse in centro omnium horum orbium cælestium. Hoc systema occasionem dedit statuendi soliditatem cælorum, & augendi illorum numerum.

§. I.

De Numero Cælorum.

SI cuilibet planetæ suus attribuatur orbis solidus & concentricus, septem habebimus cælos planetarios: si suum quoque cælum demus stellis fixis, & aliud superius collocemus crystallinum cum primo mobili, novem aut decem vel plures cælos numerabimus cum antiquis Philosophis, qui primi de numero cælorum disputârunt. Ego verò hanc quæstionem de nomine non melius explicari posse existimo, quàm ex SS. Literis: id enim nomine cæli appellandum videtur, cui S. Scriptura tale nomen attribuit; sed tribus dat nomen cæli: ergo tres cæli admittendi sunt. Dicitur enim, quòd S. Paulus fuerit raptus in tertium cælum; per tertium cælum autem SS. P.P. intelligunt Empyreum, Beatorum sedem; cum D. Paulus asserat, se ibidem percepisse, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Supra hoc cælum agnoscimus nullum: ergo cum sit tertium duo alii inferiores admittendi sunt.

Quales illi? rursum consulamus Scripturam; in uno loco dicitur: Stellæ cæli, in alio: Volucres cæli: ergo hic duos alios habemus cælos, nempe cælum æthereum, in quo volvuntur sidera, & cælum æreum, quo nomine intelligitur tota atmosphæra terræ, quæ ad aliquot milliaria extenditur, ac variis vaporibus & exhalationibus impletur; cum enim volucres altiùs non assurgant, & tamen volucres cæli nuncupentur, hæc terræ atmosphæra cælum dici potest, præsertim cum literæ tam sacræ quàm profanæ dicant cælum pluere, tonare, in eo videri nubes, fulgura, iridem &c. Hinc fluxere illi versus: *Nocte rubens cælum cras indicat esse serenum; mane rubente polo sol dicit surgere nolo.* Hic autem color rubeus, nubes, iris fiunt in terræ atmosphæra: ergo hæc dicenda est primum Cælum, nempe æreum. Secundum Cælum erit æthereum, in quo volvuntur sidera, cum Script. rursus dicat: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem; Benedicite stellæ cæli Domino: suspice cælum, numera stellas.* His accedit sensus communis omnium populorum. Tertium erit Empyreum, quod solum nobis sufficiet.

§. II.

An Cæli sint solidi vel liquidi?

Quæstionem hanc non agitamus de Cælo Empyreo, quod est nobis invisibile, & probabilissimè magna ex parte solidum, cum sit Patria, & stabilis Beatorum sedes. Quæstio igitur est de cælo sidereo, qua in re multi Peripatetici post Aristotelem voluerunt cælos esse instar crystalli solidos, & stellas iis veluti gemmas annulo insertas unà cum cælorum orbe circumvolvi: alii hoc concedunt de cælo stellifero, non autem de planetario: alii denique omnia volunt fluida, nihil solidi.

Dicen-